

## CAPVT IV.

## De attributis Dei relativis

157. Iam diximus<sup>4</sup> attributa Dei relativa ea esse, quae aliquam relationem ad creaturas involunt, ita nempe, ut *creatvae referantur ad ipsum Deum, sed in Deo non sit aliqua relatio Eius ad creaturas, sed secundum rationem tantum, in quantum creaturae referuntur ad Ipsum*<sup>2</sup>. Ea, quae ad huiusmodi attributa scitu necessaria sunt, ad *creationem, conservationem, concursum, et Providentiam* rediguntur.

## ART. I. Quomodo Deus causa mundi sit, explicatur

158. Causa, quemadmodum in *Ontologia* statuimus, in *efficientem, materialem, exemplarem, et finalem* distinguitur. Iam Deum esse causam effectricem mundi, atque illi per creationem existentiam largitum esse iam planum in *Cosmologia*<sup>3</sup> fecimus.

159. Deum autem neque esse, neque umquam concipi posse causam *materialem, aut formalem* mundi<sup>4</sup> ex eo, quod Ipse est causa effectrix mundi, manifeste evincitur. Nam causa effectrix saltem *numero a re, quam efficit, distinguatur oportet, quia ali-*

*entis habere, si primum ens fingatur non esse? Sane in quolibet genere, ablatio primo, tollantur oportet universa, quae sequuntur, nec aliquod potest esse ens secundum, si nullum sit Ens primum. Quis numerum potest concipere, si nulla fingatur esse unitas? Quid vero erunt essentiae illae possibilite interna gaudentes, si Deus fingatur non esse? Erunt profecto essentiae secundae; at quomodo secundae in ficta hypothesis non existentis Dei?*<sup>2</sup> *Interna rerum possibilitas, quemadmodum constat ex dictis* (p. 341 not. 3), *non est aliud, quam ipsa Essentia Divina concepta a Divino Intellectu, ut imitabilis ad extra;* *3º Interna rerum possibilitas, praecisa reali existentia, habet esse ideale, et in hoc ordine habet esse obiective verum: atqui esse ideale est ab intellectu, et in intellectu, atque res denominantur verae a veritate intellectus, unde si nullus intellectus esset aeternus, nulla veritas esset aeterna* (I, q. XVI, a. 7 c.).<sup>4</sup> *Si possibilium fundamentum, et ratio a Divina Natura nullo modo penderet, Deus in possibilium cognitione a re sibi extrinseca, et a se prorsus independente perficeretur; id quod maxime repugnat.*

<sup>4</sup> Pag. 317. — <sup>2</sup> Cf I, q. XIII, a. 7 c. — <sup>3</sup> Cap. VII, art. 1, p. 139 sqq.

<sup>4</sup> David de Dinando, ut est apud s. Thomam, stultissime dixit. Deum esse materiam primam (I, q. III, a. 8 c.), seu causam materialem mundi. Almaricus autem Carnotensis, Deum, ut est apud eumdem s. Thomam (*ibid.*), « esse principium formale omnia rerum » effutavit.

quid esse causam efficientem sui ipsius repugnat<sup>4</sup>. Ex. g., si homo gignit hominem, certe alius est homo, qui gignit, alius vero, qui gignitur. Atqui causa materialis, et formalis, quippe quae essentiam rei effectae constituunt, unum, idemque cum ipsa sunt. Ergo Deus, cum sit causa effectrix mundi, causa materialis, aut formalis eius esse nequit<sup>2</sup>. Contra ea, quoniam Deus est causa effectrix mundi, consequitur Eum esse quoque causam exemplarem<sup>3</sup>; quippe quod, cum Deus sit causa effectrix mundi infinite intelligens, res mundanas e nihilo condere non potuit, nisi secundum ideas, seu exemplaria illarum, quae in se habuit<sup>4</sup>. Itaque explicandum superest, quomodo Deus causa finalis mundi dicendus sit.

160. Deus, cum infinita Sapientia posset, finem aliquem in mundi creatione operi suo praestituere debuit; secus illud temere, et insipiente confecisset<sup>5</sup>. Porro quaestionis huius, *cur Deus voluit mundum creare?* duplex sensus esse potest: 1º quae-nam fuerit ratio ipsius actionis Dei; 2º ad quem finem Deus suum ordinaverit opus<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> Cf *Ontol.*, c. IX, art. 6, p. 67, not. 3.

<sup>2</sup> Vid. s. Thom., I, loc. cit., et *Contr. Gent.*, lib. II, c. 17, et 26. Pluribus afferendis abstinemus; errores enim Davidis de Dinando, et Almarici Carnotensis pantheismum omnino redolent, de quo in postremo capite agendum nobis erit.

<sup>3</sup> I, q. XLIV, a. 3 c.

<sup>4</sup> Hinc antiqui Patres disserunt inter mundum *intelligibilem*, qui in Intellectu Dei ab aeterno est, et mundum *aspectabilem*, seu *sensibilem*, quem Deus ad mundi intelligibilis instar in tempore condidit, accurate adnotarunt. Vid. prae caeteris Clem. Alex., *Strom.*, lib. IV, c. 14; s. Justin., *Cohort. ad Gent.*, n. 30; Origen., *Homil. III in Cantic.*, Euseb., *Praep. Evang.*, c. 23-25.

<sup>5</sup> « Quis, s. Augustinus inquit, audeat dicere Deum irrationabiliter omnipia condidisse? » *Qq. LXXXIII*, q. 46. Investigatio finis, ob quem mundus a Deo creatus sit, *temperaria*, quemadmodum Iul. Simon (*La religion naturelle*, part. 2, c. I, p. 128, ed. cit.) contendit, haud est. Etenim, docente Aquinate, « cum finis respondeat principio, non potest fieri ut, principio cognito, quid sit rerum finis ignoretur »; I, q. CIII, a. 2 c.

<sup>6</sup> In harum quaestionum solutione haec oculis habenda sunt: 1º Cum actio Divina sit Essentia Eius, non queritur *ex hac parte finis eius*, sed *ex parte illa, qua effectum creaturae communicat* (*In lib. II Sent.*, Dist. I, q. II, a. 1 ad 4). 2º Ex eo, quod Voluntatem Dei a causa extranea determinatur repugnat, negandum non est cum Clarkeo (*Lettres etc.*, 3<sup>e</sup> Repl., S 2), Deum ex aliqua ratione res extra se producere; siquidem « Volun-

161. Si primo sensu quaestio accipiatur, respondemus rationem illam esse Divinam ipsam Bonitatem, ex qua creaturis perfectiones suae communicare voluit<sup>1</sup>; siquidem iam ostensum a nobis est solam Divinam Bonitatem esse rationem, cur Deus velit quaecumque extra se vult<sup>2</sup>. Quoniam autem huiusmodi finis, nempe Divina Bonitas « nullo modo dependet ab his, quae sunt ad finem, nec quantum ad esse, nec quantum ad perfectionem aliquam », sequitur Deum non velle « alicui suam Bonitatem communicare ad hoc, ut sibi exinde aliquid accrescat; sed quia ipsam communicare est sibi conveniens... Dare autem non propter aliquid commodum ex datione expectatum... est actus liberalitatis<sup>3</sup> ».

162. Quod si alter sit quaestionis sensus, ita respondemus cum eodem Aquinate: « In partibus universi unaquaque creatura est propter suum proprium actum, et perfectionem. Secundo autem, creature ignobiliores sunt propter nobiliores: sicut creature, quae sunt infra hominem, sunt propter hominem. Ulterius autem singulae creature sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum, sicut in finem<sup>4</sup> ». En praeclara argumentatio, qua sanctus Doctor rerum omnium ultimum finem

tas Dei rationabilis est, non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed in quantum vult unum esse propter aliud<sup>1</sup> (I, q. XIX, a. 5 ad 1). Praestat id cum eodem Aquinate amplius explicare: « Si aliquis uno actu velit finem, et alio actu ea, quae sunt ad finem, velle finem erit ei causa volendi ea, quae sunt ad finem; sed, si uno actu velit finem, et ea, quae sunt ad finem, hoc esse non poterit: quia idem non est causa suipsius. Et tamen erit verum dicere, quod velit ordinare ea, quae sunt ad finem, in finem. Deus autem, sicut uno actu omnia in Essentia sua intelligit, ita uno actu vult omnia in sua Bonitate. Unde, sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus; sed Ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea, quae sunt ad finem. Sed tamen vult ea, quae sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc »; *Ibid.*, c. Cf *Contr. Gent.*, lib. I, c. 87.

<sup>1</sup> « Ex cuius (Divinae Bonitatis) amore est, quod Deus Eam communicare vult »; *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 15 ad 14.—<sup>2</sup> Pag. 346.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. I, c. 93. *Ibidem* (lib. III, c. 18) ait etiam: « Deus, qui est primum agens omnium rerum, non sic agit quasi sua actione aliquid acquirat, sed quasi sua actione aliquid largiatur: quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest aliquid elargiri ».

<sup>4</sup> I, q. LXV, a. 2 c.

Deum esse demonstrat: Finis nonnisi in bono consistere potest; et sicut finis particularis rei est quoddam bonum particolare, ita finis universalis rerum omnium est quoddam bonum universale. Atqui bonum universale est, *quod est per se, et per suam essentiam bonum*; huiusmodi autem bonum aliquid ex iis, quae mundum constituant, esse nequit; siquidem in tota universitate creaturarum nullum est bonum, quod non sit *particulare*, sive *participative* bonum. Ergo « illud bonum, quod est finis totius universi, oportet, quod sit extrinsecum a toto universo », nempe Deus<sup>1</sup>. Insuper *finis inter alias causas primatum obtinet*<sup>2</sup>; atque finis posterior est *causa*, *quod praecedens finis intendatur, ut finis; non enim mouetur aliquid in finem proximum, nisi propter finem postremum*. Exinde consequitur ultimum finem esse primam omnium causam. Atqui prima omnium causa est Deus. Ergo Deus est ultimus omnium finis<sup>3</sup>.

163. Iamvero creature irrationales ad Deum ordinantur ut in finem per viam assimilationis tantum, nempe, in quantum participant aliquid de Dei similitudine; creature autem rationales super hoc habent, ut ad ipsum Deum cognoscendum, et amandum sua operatione pertingant<sup>4</sup>. Hinc intelligitur cur finis huic rerum universitati praefixus esse dicatur Divinarum Perfectionum manifestatio, ex qua extrinseca gloria Dei exurgit<sup>5</sup>. Etenim res mundanae, cum in eo, quod sunt, et in eo, quod agunt, aliquam similitudinem Dei pro modulo suo participant, praestantiam sui Opificis veluti impresso vestigio naturaliter exhibent, omnesque simul sua varietate, et apta dispositione Sapientiam, Pueritudinem, Bonitatem, aliasque Divinas perfectiones pandunt. Creature autem rationales non solum in sui ex-

<sup>1</sup> I, q. CIII, a. 2 c. Cf *Cosmol.*, c. VI, art. 3, p. 148.

<sup>2</sup> Cf *Ontol.*, c. IX, art. 4, p. 64, not. 4.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 17. « Hinc est, subdit sanctus Doctor, quod dicitur *Proverb. c. 16, v. 4: Universa propter semelipsum operatus est Deus*; et *Apocalyp.*, c. ult., v. 13: *Ego sum alpha, et omega, primus, et novissimus, principium, et finis* ».

<sup>4</sup> *Qq. dispp.*, *De Ver.*, q. V, a. 6 ad 4, et q. XX, a. 4 c. Ex his perspicitores res non ordinari in Deum sicut in finem, cui aliquid acquiritur, sed ut ab Ipso Ipsummet suo modo consequantur, cum Ipsem sit finis »; *Contr. Gent.*, lib. III, c. 18.

<sup>5</sup> Dicitur gloria externa, ut a gloria interna Dei distinguatur, quae in notitia, et dilectione sui ipsius consistit.

cellentia, et pulcritudine excellentiam, pulcritudinemque Conditoris manifestant, sed etiam, cum facultatibus cognoscendi, et amandi Deam polleant, Eius perfectiones laudare, Eiusque potentiae se libere subiictere tenentur, atque ita pertingunt ad *Ipsum per suam operationem*, beatitudinemque assequuntur<sup>1</sup>.

164. Atque hinc patet quantopere sit a vero aliena sententia Kantii, Arhensii, aliorumque asserentium *Deum creasse hominem propter hominem, cetera omnia non nisi propter hominem facta esse*. Creaturae enim homine inferiores, etsi ad eius utilitatem quadam ratione ordinatae sint, tamen ad Dei gloriam manifestandam tendunt, tamquam ad ultimum suum finem, quem tum *immediale*, tum *mediate* attingunt. *Immediate* quidem, quia ex ipsa sui natura sapientiam, bonitatem etc. Divini Opificis palam faciunt, et in semetipsis, tamquam in speculo, quadam Divinorum attributorum veluti vestigia expressa gerunt; *mediate*, quia homini inserviendo concurrunt ad eamdem Divinorum attributorum manifestationem, quam homo ratione, et libertate praeditus peculiariter praestare debet<sup>2</sup>.

#### ART. II. *De Divina rerum conservatione*

165. Actio Divina, qua fit, ut creaturae in existentia perduren, *Conservatio Divina nuncupatur*.

166. Prop. *Creaturae omnes Divina conservatione indigent, ut esse pergent.*

<sup>1</sup> *Qq. dispp., De Ver., q. V, loc. cit.*

<sup>2</sup> Audiatur s. Bonaventura: »Est notandum, quod finis, ad quem res ordinantur, duplex est. Quidam enim est finis principalis, et ultimus; quidam est finis sub fine. Si primo modo loquimur de fine, sic omnium creaturarum tam rationalium, quam irrationalium finis est Deus, quia omnia propter semetipsum creavit Altissimus, omnia enim fecit ad laudem sue Bonitatis. Si autem loquamur de fine non principali, qui est finis quoddammodo, et finis sub fine, omnia sensibilia alia facta sunt propter hominem. Et hoc insinuat Philosophus, cum dicit: *Sumus finis nos quodammodo omnium eorum, quae sunt.* Insinuat etiam Scriptura multo excellenter, cum dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et praeferimus maris etc.* Quia enim homo rationis capax est, ideo habet libertatem arbitrii, et natus est piscibus dominari. Quia vero per similitudinem natus est in Deum tendere immediate, ideo omnes creaturae irrationales ad ipsum ordinantur, ut mediante ipso in finem ultimum perducantur»; *In lib. II Sent., Dist. XV, a. 11, q. 1 resol.* Cf etiam s. Thom., 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LXXVI, a. 2 c.

*Probatur.* 1° Si ponas ens quodpiam a Deo non conservari, hoc ipso ponis non omnia omnino pendere a Deo. Atqui id cum Dei perfectione aperie pugnat. Ergo. 2° Si iam ad ipsa existentia finita mentem convertas, ultra hoc videbis. Ipsa enim sunt contingencia: quod autem contingens est, huiusmodi est pro quocumque momento temporis. Ergo, quemadmodum creature, utpote contingentes, non vi naturae suae existere coeperunt, aut incipere potuerunt, sed vi actionis Divinae; ita nec vi naturae suae permanent, aut permanere possunt in existentia, sed vi ipsius Divinae actionis.

167. At quamquam philosophi in hoc convenient, quod nempe creature Divina ope servantur, dissentiant tamen in explicanda ratione, qua eiusmodi conservatio perficiatur. Alii enim conservationem *directam*, et *positivam*; alii, inter quos Crousati<sup>1</sup>, Bayleus<sup>2</sup>, et Galluppius<sup>3</sup>, *indirectam* tantum, et *negativam* propugnant. Conservatio *directa*, et *positiva* ita explicatur, ut Deus iugi quodam influxu res conditas in existentia relineat. Conservatio autem *indirecta*, et *negativa* in eo tantum consistit, quod res, postquam e nihilo conditae sunt, propria virtute suam continuant existentiam, atque a Deo eatenus pendent, quatenus Ipse eas non destruit. Quapropter, posita conservatione directa, res in nihilum abirent, statim ac ab eis influxus Divinae actionis cessaret. E contrario, si tantum indirecta conservatio agnoscit velit, ad rerum annihilationem positivus actus Divinae Voluntatis requiritur.

168. Prop. *Admittenda est conservatio directa, et positiva.*

*Probatur* 1° Argumenta, quae creaturas, ut existere pergent, Divina conservatione indigere demonstrant, conservationis directae, et positivae indigentiam simul ostendunt. Ergo Philosophi, qui conservationem indirectam admittunt, sibi non consentiunt, sive ipsam conservationem verbis retinent, re negant. Et sane creature, cum non existant a seipsis, pendent a Deo non modo ut siant, sed etiam ut permaneant in existentia, seu non solum acceperunt esse a Deo, qui eas fecit, sed etiam, postquam sunt factae, illud esse a Deo iugiter habent; quapropter, nisi

<sup>1</sup> *Examen du Pyrrhon., sect. XI.*

<sup>2</sup> *Diction. hist. et crit., t. III, art. Pyrrhon.*

<sup>3</sup> *Lezz. etc., lez. XCIV.*

Deus iugiter in eas influeret esse, statim in nihilum abirent. Atqui in hoc conservatio positiva et directa consistit. Ergo, Rem ita explicat<sup>s</sup>. Thomas<sup>1</sup>: Sicut aer, dum dies est, singulis momentis illuminatur a sole, et si quando sol desinit illuminare, statim affunditur tenebris, ita creaturae singulis momentis habent esse a Deo; atque statim in nihilum reciderent, si actio Divina vel uno momento ab eis cessaret.

2° Si creaturae sua virtute in existentia permanerent, in nihilum non nisi per positivam actionem Dei redigi possent; ex quo sequitur, ut effectus positivae actionis Dei sit nihilum, quo quidem nil absurdius effungi potest.

3° Denique omnes Ecclesiae Patres, atque Theologi in nostram sententiam concedunt. Satis sint haec s. Augustini verba: « Creatoris potentia, et omnipotentis, atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturae; quae virtus ab eis, quae creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret<sup>2</sup> ». Immo s. Anselmus adeo hanc veritatem perspicuam esse docet, ut nullum de ea dubium occurrere queat. « Dubium, ait, non nisi irrationali mente esse potest, quod cuncta, quae facta sunt, eodem ipso sustinente, vigent, et perseverant esse, quamdiu sunt, quo faciente, de nihilo habent esse, quo l sunt<sup>3</sup> ».

<sup>1</sup> I, q. CIV, a. 1 c. Cf *Ibid.*, q. VIII, a. 1 c. Fusius s. Bonaventura: « Quia creatura est, et accipit esse ab alio, qui eam fecit esse, cum prius non esset, ex hoc non est suum esse, et ideo non est purus actus; quia habet possibilitatem, et ratione huius habet fluxibilitatem, et variabilitatem, ideo caret stabilitate, et ideo non potest esse, nisi per praesentiam Eius, qui dedit ei esse. Et exemplum huius apertum est, in impressione formae sigilli in aqua, quae non conservatur ad momentum, nisi praesente sigillo. Et iterum, quia creatura de nihilo producta est ideo habet vanitatem; et quia nihil vanum in seipso fulcitur, necesse est, quod omnis creatura sustentetur per praesentiam virtutis; et est simile, si quis poneat corpus ponderosum in aere, quod est quasi vanum, si non sustentatur; sic et in proposito »; *In lib. I Sent., Dist. XXXVII*, p. I, a. 1, q. 1 resol.

<sup>2</sup> *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 12, n. 22. Cf *ibid.*, lib. VIII, c. 12, et *De Civ. Dei*, lib. XXII, c. 44.

<sup>3</sup> *Monol.*, c. 13. Doctrinam hanc sic tradit Catechismus Concilii Tridentini: « Quemadmodum omnia, ut essent, Creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua Eius Providentia adasset, atque eadem vi, qua ab initio constitutae sunt,

169. Ad maiorem rei perspicuitatem duo hic sunt adnotanda: 1° « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse<sup>4</sup> ». Eadem nempe actione, qua Deus dedit creaturis esse, cum eas produxit, conservat illas in esse singulis momentis<sup>2</sup>. 2° Exinde intelligitur, quomodo accipiendum sit celebre illud Scholasticorum effatum: *Conservatio est continua creatio*. Iam Galluppius, Bayleum secutus, illud ita interpretatur, quasi nempe singulis instantibus creaturae in nihilum reverterentur, et iterum per novam creationem ad existentiam redirent; unde infert illud effatum absurdum esse, quippe quod libertatem voluntatis humanae prorsus tollit. At perperam sententiam huiusmodi tantis Doctoribus Galluppius attribuit. Eo enim effato Scholastici illud sibi voluerunt, quod nempe entia contingentia eamdem habent indigentiam Voluntatis Divinae, ut existentiam continent, quam habuerunt, ut existere inciperent; quod eadem actione, qua Deus ab aeterno voluit, ut illa existerent, voluit etiam, ut aliquamdiu existerent; quod idem actus Divinae Voluntatis, qui illa conservat, sufficeret etiam ad eorum creationem, si nondum existerent; quicque si cessaret, etiam eorum existentia desineret. Paucis, effato illo dogma positivae conservationis Scholastici perbelle significarunt.

170. Obiic. 1° Causae creatae opera efficiunt, quae semel effecta pergunt existere, etsi assidua artificis manu minime tenentur. Ergo a fortiori res effectae a Deo, qui est causa perfectissima, et efficacissima, non indigent assidua Eius actione, ut existere pergant.

171. Resp. neg. cons., et parit. Ratio discriminis est, quod causae secundae non ipsum esse, sed tantum quosdam modos producunt; Deus autem ipsum esse largitur creaturis, quae proinde a Deo dependent, non solum ut sint, sed ut permaneant in esse, quod acceperunt. In hoc autem Deus est causa perfe-

illas conservaret, statim ad nihilum reciderent; atque id Scriptura declarat, cum inquit: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi Tu voluis ses?* » *Pars I*, n. 21.

<sup>1</sup> I, q. CIV, a. 1 ad 4.

<sup>2</sup> « Deus eadem virtute, qua esse rebus tribuit, eas in esse proprio conservat. Unde non magis ostendit Divinam Potentiam productio creaturarum, quam earum conservatio»; *In lib. II Sent., Dist. XV*, q. III, a. 3 ad 5.

ctissima, et efficacissima, quia Ipse solus est a se; cetera vero sine Ipso esse non possunt<sup>1</sup>.

172. Obiic. 2º Quaelibet res naturalis tendit ad esse. Ergo potest naturaliter conservari in esse, ideoque Divinae actionis influxu non indiget.

173. Paucis sic respondet s. Thomas: « Licet quaelibet res naturaliter appetat sui conservationem, non tamen quod a se conservetur, sed a sua causa<sup>2</sup> ».

### ART. III. De concursu Divino

174. Dependentia creaturarum in agendo ab actu Divinae Voluntatis *concursum Divinum* constituit, qui proinde definiri potest: *Actus Divinae voluntatis efficienter<sup>3</sup> influens in creaturam actiones, quae ad ordinem naturalem<sup>4</sup> spectant.*

175. Distinguitur autem hic concursus in *mediatum*, atque *immediatum*. *Mediatus* in eo tantum consistit, quod Deus vires, quibus creaturae agunt, conservet; *immediatus* in eo, quod Deus, ut causa prima, cum ipsa creatura operante, ut causa secunda, operetur, atque eundem effectum cum illa producat; sive existentiam effectus sua et ipse Deus actione immediate attingit; ex quo fit, ut concursus immediatus etiam *simultaneus* in scholis dici soleat.

176. Quoad concursum mediatum, quin sit creaturis ad singulos actus necessarius, nemo est, qui dubitet. Quare inquirendum nobis est, utrum, nec ne concursu simultaneo creaturae, ut agent, indigeant.

Prop. *Immediato Dei concursu creaturae indigent ad singulas suas actiones.*

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. I, a. 1 *sol.* et ad 3. Hinc s. Augustinus aiebat: « Neque enim, sicut structor aedium cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante, atque abscedente, stat opus eius; ita mundus vel iectu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit »; *De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 12, n. 22.

<sup>2</sup> Cf *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. V, a. 1 ad 13.

<sup>3</sup> Diximus *efficienter*, ut intelligatur concursum, de quo hic loquimur, esse *physicum*, seu huiusmodi, ut Deus per modum agentis in actiones creaturarum influat. Qui quidem concursus ab illo, qui dicitur *moralis*, et in alliciendo, consulendo, adhortando, terrendo consistit, apprime distinguitur.

<sup>4</sup> Diximus *ad ordinem naturalem*, quia supernaturales actus creaturarum speciali, et supernaturali auxilio, quod *gratia* dicitur, expostulant.

Probatur contra Durandum, qui Deum existimavit non nisi *mediate* cum creaturis agere, quatenus scilicet operandi facultatem iis a primo ortu concessit, et jugiter conservat<sup>1</sup>: 1º Quidquid habet rationem entis, Deum habet immediatum auctorem; cum enim Deus sit primum Ens, Ipse est, qui omnibus principalius dat esse. Atqui quilibet effectus creaturarum habet rationem entis. Ergo oportet, ut creaturarum effectus immediate pendent a Deo. Praestat idem argumentum hac alia forma exhibere: Creaturae, dum aliquid producunt, rationem *entis* aliquo modo attingunt. Atqui ratio entis, utpote effectus universalissimus, Causae universalissimae, nempe Dei, proprius effectus est. Ergo creature, dum agunt, effectum proprium Dei aliquo modo attingunt. Atqui causa, quae effectum proprium alterius excellentioris causae producit, nonnisi per eius influum agit. Ergo<sup>2</sup>.

2º Effectus *immediate* dependet ab eo, per cuius actionem existit; quapropter si effectus causae creatae *immediate* ab ipsa creatura, et tantum *mediate* a Deo penderet, ipse magis a creatura, quae est causa secunda, quam a Deo, qui est Causa Prima, penderet. Atqui id absurdum est. Ergo. Hoc argumentum ex eo maius accipit robur, quod « cum Deus sit prima causa omnium, sua Virtus est immediatissima omnibus. Sed quia ipsomet est sua Virtus, ideo non tantum est immediatum principium operationis in omnibus, sed immediate in omnibus operans<sup>3</sup> ».

<sup>1</sup> Haec sententia non ita Durandi est propria, ut omnium ille primus eam in Scholam invexerit. Etenim, ut iam refert s. Augustinus, aliqui fuerunt, qui putarunt « tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, et iussit; Deum autem ipsum nihil operari »; *De Gen. ad litt.*, lib. V, c. 20, n. 40.

<sup>2</sup> Cf *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. III, a. 7 c.

<sup>3</sup> In *lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. I, a. 1 ad 4. « Primi agentis, ait *ibid.*, virtus est immediatissima ». Quod ita perbelle explicat. « Sint A, B, C tres causae ordinatae, ita quod C sit ultima, quae exercet operationem; constat tunc quod C exercet operationem per virtutem suam; et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per virtutem B, et ulterius, per virtutem A. Unde si quaeratur, quare C operatur, respondetur per virtutem suam, et quare per virtutem suam? propter virtutem B; et sic quoque reducatur in virtutem Causae Primae ». Cf etiam *Contr. Gent.*, lib. III, c. 70. Et alibi: « Si consideremus supposita agentia, quolibet agens particula-

3º Admissum concursu dumtaxat mediato, creaturae accepissent quidem a Deo facultatem agendi, sed in ea exercenda sibi ipsis sufficerent; et quoniam ex legitima facultatis exercitatione creaturae perficiuntur, ipsae sine ullo Dei influxu meliores evadent, et perfectiores. Atqui id absurdum est, ac impium. Ergo Deum ad singulos actus creaturarum immediate concurrere tendum est.

177. Ut autem concursus huinsmodi rite intelligatur, operae pretium erit haec adnotare: 1º Idem effectus Deo, et creaturis non attribuitur, « quasi partim a Deo, et partim a naturali agente fiat; sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus <sup>1</sup> ». Quare effectus a Deo, et a creaturis procedit, non tamquam a duobus agentibus unius ordinis, sed a primo, et secundo agente <sup>2</sup>. Iam « sicut non est inconveniens quod una actio producatur ex aliquo agente, et eius virtute; ita non est inconveniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente, et a Deo, ab utroque immediate, licet alio, et alio modo <sup>3</sup> ».

2º Concursus immediatus a Philosophis diversa ratione explicatur. Alii enim illum dumtaxat *simultaneum*, alii autem etiam *praeuum* esse contendunt. Illi nempe docent Deum agere cum creatura, ita ut eam adiuvando comitetur dumtaxat, non praeveniat. Isti autem arbitrantur Deum non solum adiuvare creaturam inter agendum, sed etiam ipsam ad actum efficienter praemovere <sup>4</sup>. Quare secundum hos Philosophos Deus non so-

re est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem, qua fit actio, sic virtus superioris cause erit immediator effectui, quam virtus inferioris; nam virtus inferior non coniungitur effectui, nisi per virtutem superioris <sup>5</sup>; *Qq. dispp., De Pot.*, loc. cit.

<sup>1</sup> *Contr. Gent.*, lib. III, c. 70 cit.

<sup>2</sup> I, q. IV, a. 3 ad 2.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, ibid. Cf *Ontol.*, c. IX, art. 7, p. 69.

<sup>4</sup> Hinc concursus *praeius* nomine *praemotionis physicae* etiam appellari solet. Eius notionem perspicuis his verbis tradidit Goulinus: « Physica *praemotio*, sive *prae-determinatio* est *influxus Causae Primae*, *receptus non quidem immediate in effectibus*, sed in *causis secundis*, quo Deus ipsis *actualem efficacitatem inspirat*, quo eas *moyet*, et *applicat* non solum *objective*, et *moraliter*, *alliciendo*, et *suadendo*, sed etiam *physice*, et *active*, *interius inclinando*, *applicando*, *determinando*, ac *ultimam illam*

lum dedit, et conservat *activas virtutes causarum secundarum*, et *simultaneae* cum illis concurrit ad *producendos effectus*, sed etiam eas ad *agendum physice applicat*, seu *moyet*. *Quaestio*nem huiusmodi hic pertractare nequaquam vacat. Illud tantum ostendendum nobis est, concursu *Divino*, quacumque ratione explicetur, libertatem nostrarum actionum nequaquam adimi, sed potius confirmari. Sane, admisso concursu dumtaxat *simultaneo*, res manifesta est. Etenim, secundum huius concursus propugnatores, Deus causis liberis concursum indifferentem exhibet, quo nempe ipsae ad hunc, vel illum actum exerendum uti pro suo libitu possint. Quare huiusmodi concursus ad neutrā optionis partem causam liberam movet, sed eam tantummodo adiuvat, et ad agendum, prout libet, integrā potestatem relinquit. Philosophi autem, qui *physicam praemotionem* tuerunt, ita ratiocinantur: Voluntas *praemota agit*, et determinat se ipsam tamquam proximum agens, et determinans, Deus vero tamquam primum agens, et primum determinans. Atqui ad rationem libertatis non pertinet, ut voluntas agat ex seipsa, sequē determinet tamquam prima causa a superiori non dependens, sed tamquam causa proxima a primo motore applicata. Ergo *physica praemotio* libertatem voluntatis sartam, tectamque relinquit. Porro voluntatem a primo motore, nempe a Deo moveri, et simul liberam esse probant ex eo, quod Deus unumquodque, prout eius natura expostulat, movet; modus autem agendi voluntatis est, ut libera sit in electione bonorum particularium; voluntas ergo etiam sub *praemotione* libere operatur. Neque

activitatem, ad quam sequitur actio, *influendo*, et ideo dicitur *motio physica*. Sed quia motio, et applicatio virtutis activae ad agendum est prior natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, et omnis causa suo effectu; ideo motio illa dicitur *prævia* motio, seu *præmotione*; *Phil. iuxta inconcessa D.Thomae dogm.*, t.IV, 3<sup>a</sup> part., q.IV, a.2. Et *ibid.*, a.4: « Sicuti Deus in ratione primi Entis influit continuo rebus omnibus ipsum esse, quod est ultima actualitas in linea entis, idque per *influxum prævium*, et *physicum*...; ita quoque in ratione primae. Causae caeteris omnibus influit in ipsum agere, quod est ultima actualitas in linea operandi, active applicando virtutes operativas ad agendum iuxta cuiusque naturam, et conditionem... Hunc igitur *influxum*, hanc applicationem, qua Deus reddit causas secundas in actu secundo agentes, qua virtutes activas transfert ab otio ad exercitium, qua omnibus ultimam actualitatem influit, vocamus *praemotionem* ».

obstat, quod voluntas praemota sequi debeat illud, ad quod praemovetur; id enim ostendit quidem Divinae praemotionis infallibilitatem, quia Dei intentio desicere non potest, nullam vero necessitatem insert.

<sup>3</sup> Ex eo quod Deus actione sua in quamlibet operationem creaturae influit, auctor peccati habendus non est; nam, ut docet s. Thomas, « effectus caussae secundae deficientis reducitur in caussam primam non deficientem, quantum ad id, quod habet entitatis, et perfectionis, non autem quantum ad id, quod habet de defectu. Sicul, quidquid est motus in claudicatione, caussatur a virtute motiva: sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis, et actionis in actione mala, reducitur in Deum, sicut in caussam: sed quod est ibi defectus, non caussatur a Deo, sed ex caussa secunda deficiente<sup>4</sup> ». Id ipsum ex sententia Philosophorum, qui physicam praemotionem admittunt, dicendum est; Deus enim, secundum ipsos, voluntatem praemovet ad actionem pravam, non quidem ut prava est, sed ut actio est.

#### ART. IV. *De Providentia Dei*

178. Providentia duo complectitur, scilicet rerum ordinem in Divina Mente, atque ipsius ordinis per certa media executionem<sup>2</sup>. Si prima significazione accipiatur, definitur a Boëtio: « ipsa Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quae cuncta disponit<sup>3</sup> »; nempe singula ad proprios fines, et omnia ad fi-

<sup>1</sup> I, q. XLIX, a. 2 ad 2. « Illud, alibi inquit, dicitur ad malum cooperari, quod inclinat ad actionem, secundum quod actio deformitati substans, unde mala est. Hoc autem Deo non convenit; et ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse, et agere, et quidquid perfectionis in agendo est »; In lib. II Sent., Dist. XXXVII, q. II, a. 2 ad 2. Cf ibid., ad 3. Id ipsum s. Augustinus significavit, ubi ait: « Peccatum quidem non per Ipsum (Deum) factum est. Et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil sunt homines, cum peccant »; In Ioann. Ev. c. I, Tract. I, n. 13. Unde Deum ita alloquitur: « Hoc solum a Te non est, quod non est, motusque voluntatis a Te, qui es, ad id, quod minus est; quia talis motus delictum, atque peccatum est »; Conf., lib. XII, c. 11, n. 11.

<sup>2</sup> « Ad Providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum proximarum in finem, et executio huius ordinis, quae gubernatio dicitur »; I, q. XXII, a. 3 c.

<sup>3</sup> De Consol., lib. IV, pros. 6.

nem universalem. Sin altera, est, ut ait Nemesius, « Dei Voluntas, per quam omnia, quae sunt, apte gubernantur<sup>4</sup> ».

179. Nulla mundum Divina Providentia regi non defuere qui dixerint. Sane, praeter Aristotelem<sup>2</sup>, Divinam Providentiam sustulerunt omnes ii, qui vel fortuitae atomorum concursione ea omnia tribuebant, quae in mundo contingunt<sup>3</sup>, vel, ut resert Eusebius, opinabantur « stellis non exteriora solum, verum etiam voluntates nostras cogi<sup>4</sup> », sive « omnia fato fieri<sup>5</sup> ». Ex recentioribus aliij Cudworthum<sup>6</sup> secuti ad excellentium tantum rerum Divinam Providentiam coarctant<sup>7</sup>, alii, nempe Deistae<sup>8</sup>,

<sup>1</sup> De natura hominis, c. 43.

<sup>2</sup> S. Bonaventura in Serm. VI Hexaëm. observavit Aristotelem, quoniam exemplaria rerum in Mente Divina denegavit, inde adductum fuisse, ut Providentiam Divinam tolleret, praemiorum, et poenarum distributionem non admitteret, aeternitatemque mundi, et, qui ab ipsa oritur, fatalismum traderet. Cf de Margerie, *Essai sur la philosophie de saint Bonav.*, c. 2, p. 40-49, Paris 1855. Sed de Aristotelis hac in re sententia legere iuvat disputationem Van Lomburg Brouwer, *An, et quatenus philosophi, qui ante Socratem etc., sect. VII*, p. 87 sqq, Lugduni Batavorum 1824.

<sup>3</sup> « Quia putant, inquit Nemesius, hoc universum casu, et temere esse constitutum, merito dicunt omnia vacare providentia. Quorum enim nemo creator est, eorum quis est procurator? Est enim evidens temere debere ferri, quae a principio temere procreata sunt »; Op. cit., c. 44.

<sup>4</sup> Praep. Evang., lib. VI, c. 9.

<sup>5</sup> Ibid. Haec fuit Stoicorum sententia. Nomine autem *fati* intelligebant necessariam, et invariabilem causarum inter se nexarum seriem, ac successionem. Nonnulli autem ex recentioribus Stoicis, cum sanxissent omnia fato fieri, in eo velis, ramisque adlaborarunt, ut unam ab hac lege humanam voluntatem exciperent (cf Plat., *De Stoic. repugn.*, lib. I, c. 27), atque ita libertatem partam tactam relinquerent. Ast eos frustra id aggressos fuisse Tullio visum est. « Qui introducunt, ait, causarum seriem sempiternam, et mentem hominis, voluntate libera spoliatam, necessitate devincunt »; *De Fato*, c. 4.

<sup>6</sup> Cudworthus, cum censeret Deum dedecere singulas res suis manibus fabricare, eiusque sine ullo administro invigilare, statuit esse in mundo quamdam *genetricem*, seu procreatricem naturam, quae Deo ad singulas res corporeas efficiendas, gubernandasque, tamquam instrumentum, inservit. Cf Dissert. ad cap. II *System. intell.*, *De natura genetrici*, § 1-4.

<sup>7</sup> Hi in quorundam veterum, quorum meminit s. Thomas (I, q. XXII, a. 2), sententiam iverunt.

<sup>8</sup> Deistae dicuntur qui omnem Religionem supernaturalem, veluti signum Pontificum, aut Principum respunt, aliaque capitalia ipsius Religionis naturalis dogmata impugnant. Varias deismi formas exposuit Samuel Clarke in suo opere, *Traité de l'existence et des attributs de Dieu*, t. II, c. 2.